Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

His temporibus christianissimus ille cesar, cui circa servos dei maximum studium semper et diligens cura fuit, crebro alloquitur sanctum Adalbertum, et habebat eum sibi familiarem, audiens libenter que cumque sibi diceret. Archiepiscopus vero Willegisus veterem querimoniam canens interpellat. Congeminat vota cum votis, et ut reportaret illum omnibus modis instat. In apostolica quoque synodo canonum testimonia revolvens coram omnibus se iuste petere clamat; peccatum esse singulis ecclesiis maritatis solam Pragam suo pastore viduari. Iuste petentibus benivolam aurem vidue ecclesie maritum suum preberi libera mente postulans erat. Rursum extinere quius est ad patriam. Continuis litteris hoc idem reiterare non cessat. Nec dimisit prius donec pollicitus est domnus apostolicus facturum se esse que vellet. Tristatus est autem homo dei, quia linquere cogitur monasterium. Presciverat enim quia prius in eum pastoralem curam debuit; quia sua mala nemo flectere quivisset. Sed tristem eius animum hoc valde solatur, quia si in commissis sibi animabus dignos fructus agere nequisset, externis et non baptizatis predicator missus fuerat.

Ergo multis lacrimis suum dulce monasterium linquens cum summe discretionis viro Notherio episcopo ultra alpes proficiscitur. Cumque velut dux proprie mentis suum iter ageret, venerat Moguntiam, ubi regressus ab Italicis horis imperator commoratus est. Cum quo vir dei bonum mansit tempus, quia familiarissimus sibi erat, et nocte pariter ac die velut secretissimus cubicularius imperiali camere adhesit. Hoc autem non sic velut seculi amore aliquo captus, sed quia dilexit ipsum et dulcibus dictis et ad amorem celestis patrie accendere voluit. Nam die sive nocte cum turba locum dedit, sanctis alloquiis aggreditur illum, docens ne magnum putaret se imperatorem esse; cogitaret se hominem moriturum, cinerem ex pulcherrimo, putredinem et vermium escam esse futurum. Viduis se exhibere maritum, pauperibus et pupillis monstrare se patrem; timere deum ut iustum ac districtum iudicem, amare ut piissimum; venerari largitorem ac misericordie fontem; sollicite pensare quam angusta via que ducit ad vitam, et quam pauci intrant per eam. Bene agentibus esset per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iusticie erectus.
Adhuc modum cuncta subnectens monet karum filium presentis vite bona despicere, eternitatis electionem desiderare, mansura querere, in rebus temporalibus et transitoriis fiduciam non habere. Cunctis qui in regia domo erant servitute servus, velut servus omnium. Sic eorum vilissima queque manibus tractat, et omni humilitate eorum servicia facit. Noctibus quoque cum carpserant somnum, calciamenta eorum componere cura fuit. A ianitore usque ad principem regie domus omnium caligas aqua lavit, et purgatis sordibus eas suo loco restituit.

Ad hunc modum plurima servicia egit in camera; quamvis queque vilissima erant, tanto libentius ea per humilitatem ministrat. Sed serviminis auctor diu incognitus latuit, donec quidam Wolfarius regius imperialis minister et sibi dilectus cubicularius sanctum prodidit furem. Vidit quoque ibi somnium nocte una quod huiusmodi erat. Putabat se fratris sui curtem adire, et media curte stare domum, cuius structura aspectu erat delectabilis, parietes et tecta nivei candoris. Intus duo lecti, unus sibi alter fratri suo deputatus erat; uterque scilicet ut decuit multum honoris gerens, sed lectus suus omnem gloriam alterius longe precellens, totus purpureo splendore et sericis ornamentis amictus, ad caput vero aurei staminis lintheo pulcherrime redimitus. Sursum vero in capite aureis erat litteris scriptum: Munus hoc auctentum (?) filia sponsa est. Cuius visionis ordinem cum aliquibus narrando exponeret: Vide, inquit, illi, quia Christo domino fecundante martyr eris futurus. Regis filia que dat est regia dona, hec est domina sacratissima virgo Maria. Hoc audiens ille factus est letissimo animo, et ingressus cubiculum cordis egit gratias sanctorum sancto, angelorum domino et omnipotenti Christo. Hinc matrem gratie que regis solio proxima sedet, prona cervice et gaudente mentis iubilo adorat: Gratias tibi, inquiens, virgo maris stella, que me ut pia domina humillimum servum tuum respicere dignata es.

Hac ipsa tempestate adiit Turoniam, querens auxilio sanctum senem Martinum. Nec preterit Floriacum, que beatissimum corpus confessoris nostri et patris Benedicti suo gremio collocare meruit. Ubi etiam quis ille sit domino, cecorum visus, claudorum gressus, surdorum auditus, et celestium miraculorum multa milia prestantur. Horum duorum kinorum (?) patrum sanctis confabulationibus pastus, leto animo regreditur ad imperiale domicilium. Inde quid sibi menti foret que volente deo ageret sub lucem proferens, cum dilecto cesare familiaritatem et extremum sermonem habere.
Finita locutione pacis oscula invicem libant, et amplius numquam sociandos non absque dolore separant. Amplexus vir dei sanctus eius caram vitam karissimo ibi